



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 4. Quatenus anima sit essentialiter actus corporis, ad tex. com.
5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Altera ratio postremis verbis continetur. Actus primus generatione prior est, quam sit secundus: siquidem posterior hic à priori illo deriuatur, quemadmodum scientia prior est contemplatione: sed anima prior est operationibus omnibus tanquam illarum principium & causa. Nam quia viuientibus inest anima, inest omnibus operatio, eaque abeunte cessant ab operando. Anima igitur in actu primo magis, quam in secundo, consistit. Itaq. cum scientiam dixit Philosophus contemplatione prior esse; ea intelligenda est contemplatio, quæ ex illa scientia proficiscitur tanquam illius actus secundus. Contemplatio inquam perfecta. Alioqui imperfecta antecedit; quoniam ab imperfecto ad perfectum semper & vbique natura progreditur. Quam ob causam addidit (in eodem) In diuersis enim prior est Doctoris contemplatio, quam discantis scientia. Sed illa non est huius scientiæ actus secundus, verum illius, quæ in Doctoris mente residet illa ipsa contemplatione prior. Quod ex sola terminorum explanatione manifestum est. Nam si est actus primus, antecedit secundum necesse est: etsi habitus principium est operationis, operatione prior esse debet.

Quod Simplicius & Philoponus in solis mortalibus & caducis volunt intelligi. In ceteris enim quia aut nulla est potestas, sed solus actus, aut ea certe semper est coniuncta cum actu, ut habetur in tex. 32. lib. 3. Phys. habitus & operatio, actus primus & secundus, simul sunt. Addit Themistius in vegetante quoq. anima simul esse; quia nunquam opus suum & actum secundum intermittit. Verum in his quoq. natura saltem, si non temporis prioritas quadam cernitur, quoniam semper causa aliquo modo suum effectum antecedit. Et vegetans anima non natura modo, sed tempore quoq. videtur operationes suas praeire. Quod de procreatione quidem manifestum est. Non enim statim sibi simile gignit. Accretionem autem antecedit alitio, hancque dispositio multa & alteratio alimenti, quæ longo perficitur tempore. In quo cum non sit prima pars, inter animam quoque & quamlibet illius alterationis partem est tempus. Sed hæc alterius disputationis sunt.

Nunc aliam eius rei, de qua agitur, rationem habet Simplicius. Imperfectum enim prius est perfectio: est autem actus primus solus imperfectior, quam quando secundus accesserit. Siquidem operatio operantis perfectio est.

Digressio IV. Quatenus Anima sit essentialiter actus corporis.

Si igitur colligantur ea, quæ à Philosopho nobis hoc loco exposita sunt, ea duo sunt præcipua. Alterum, animam esse actum & entelechiam corporis.

Alterum, eam esse actum primum & entelechiam primam. Porro de eo, quod in superiori contextu 4. positum fuerat, eam esse substantiæ formam, quinque omnino manifesta erant. Primum, eam esse substantiam simplicem, velut formam; quod etiam cognoscitur ex partitione illa substantiæ in materiam & formam, tanquam partes simplices, & id, quod ex illis tandem componitur. Vnde tamen nequaquam consequens est, ut aliqui opinantur, eam esse immortalem. Quoniam quod in reliquis

formis cernitur, eas etsi substantiæ simplices sint, si tamen ex materia potestate educantur, interitui obnoxias esse: idem de anima vniuersè considerata existimandum est. Alterum, eam per se & sua natura impartibilem esse. Hæc enim est cuiusvis formæ, simplicisque substantiæ conditio: quod nullam ex se compositionem, nec extensionis partes habeat. An autem dum coniungitur cum corpore, simul cum eo extendatur, fiatq. partibilis, post examinandum erit. Tertium, non suscipere magis & minus. Siquidem substantia est, & quidem in genere formæ perfecta. Quartum, esse per se immobilem. Quod Alexander in 1. lib. de anima, cap. 6. & 2. lib. naturalium quest. cap. 10. hoc argumento confirmauit: quia cum anima nequeat per se esse nec potest per se moueri. At falso nititur fundamento. Tum quod nullam crediderit animam posse à corpore separari. Tum quod ratio, cur aliquod moueri non possit, nequaquam ea est, quod per se non existat. Verum hæc potius, quam in 6. Physicorum lib. habemus, quod non sit corpus quantum & partibile. Id in separatis mentibus planè intelligitur: quæ per se quidem subsistunt, omnino tamen immobiles, quantum ac postremum, animam esse actum corporis. Omnis enim forma est actus materia.

Priora quatuor tanquam manifesta, alijsq. in locis explicata prætermisit Philosophus. Solum hoc postremum adiecit: quia cum formam antea dixisset esse actum, ubi probatum fuerat animam esse formam, consequens statim erat eam esse quoque actum. Actum inquam primum, incompletum & dimidiatum, aptum formare, & coniungi cum altero tanquam illius perfectionem & substantiam compositæ partem. Et quoniam omnis huiusmodi actus ordinem quempiam inuoluit, non certi generis, sed transcendentem, ad id, cuius est actus, & eum quo coniungi potest in anima quoque intelligere oportebit eiusdem generis ordinem ad corpus, cuius anima esse potest. Hæc igitur omnia sunt in anima cogitanda. Primum inchoata illius & dimidiata substantia. Deinde aptitudo ad actuum & formandum aliud. Tum ordo ad illud, cui vniri, quodq. formare potest. Præterea actu formare & dare illi esse. Ad extremum esse principium operandi, & actu operari. Actum operari certum est longissimè ab esse à natura & essentia animæ. Nec quemquam adhuc legi, qui apertis verbis affirmaret; quamuis Plato quoquomodo significauerit. Manifestum enim est, formæ & actus primi essentiam actu secundo priorem esse; atq. omnino liberam ab omni operatione, quæ ab illa proficisci possit. Et idem animam demonstrauit Philosophus esse actum primum, non secundum.

Ceterum coniunctionem cum corpore, actuum & formam formationem visus est Alexander existimare esse de illius essentia; dum in priore lib. de anima capite 3. & 4. animam ita esse formam probare conatus est, ut nunquam possit à corpore separari. Et in 1. lib. naturalium quest. cap. vlt. cum disputaret, quomodo forma sit in materia. Affirmauit enim esse per se, si non primo, certe secundo modo eorum, quæ per se dicuntur. At quid mirum? in eo fuit errore Alexander, ut formas omnes vel etiam humanam animam, crederet esse mortales. Quæquã nec illud est verum, quod affirmat, aut certe affirmare videtur. Tū quia vel in illis formis, quæ sunt

mortales, prius est esse in se, quam illud suum esse communicare subiecto. Quoniam prior semper est causa suo effectu, natura saltem, mentisq. cogitatione, qua essentiam causae absq. vlllo affectu perfectam esse intelligimus. Tum quia si materiae accidentarium sit, non essentiale, suscipere actu formam, cum potestas esse solum definitur; cur de forma natura secus sentiamur?

Anima separata non esse actu formam.

Alios magis miror, qui cum animam nostram immortalem & a corpore separabilem esse fateantur, eam tamen separatam asserunt esse actu formam. Hoc nimirum est ab inferis excitare Platonicas illas Ideas: quod & in tex. 19. lib. 2. phys. & alijs in locis Arist. confutavit. Mihi vero horum hominum opinio apertam videtur contradictionem inuolueret, manifestamq. implicatione continere. Nam si anima a corpore separata sit actu forma, eam necesse est esse cum corpore copulatam. Tum quia, ut est in tex. 37. eiusdem libri, causa actu, & effectus actu sunt simul: cumq. effectus forma sit formare & actuare materiam, compositamq. substantiam constituit: si sit forma actu, necesse est aliquam ab ea materiam actuari, atq. compositam substantiam constitui. Tum quia esse formam actu, nil aliud est, quam esse coniunctam cum materia, eamq. re ipsa formare. Ea namq. intrinsecae causae iudicantur, quae vim suam non exercent, nisi se ipsas exhibendo, seseq. vicissim complectendo. Anima igitur illa & erit separata & non separata, cum materia complicata atq. a materiae vinculis soluta & libera. Deinde quoniam formare & dare esse actu, est velut actus quidam secundus; quia est causalitas & quasi operatio formalis causae: negari omnino non potest, totam vim & essentiam animae, quae actum primum significat, ab actuali formatione liberam esse.

Quid ergo? Ita ne animae nostrae naturam a materiae fordibus vindicabimus, ut nihil sit illis commune? Non est immaterialis illa & incorporea substantia vsq. adeo perfecta & integra, ut ab omni materiae, corporaliue ratione separari queat. Sed cum dimidiata sit & quasi inchoata natura, materiam semper respicit atq. ad corpus, cum quo apta est coniungi, intima quadamvi refertur. Itaq. non solum quando est in corpore, sed ab eo quoq. soluta illud respicit, habetq. semper aptitudinem ad formandum. Quapropter potestate, non actu, forma dicitur. Quemadmodum enim si ab omni forma separaretur materia; potestatem tamen retineret ad formam: Et quamuis actu non esset materia & subiectum eius, neq. actu subiecti & materiae causalitatem exerceret; quia non esset actu id, ex quo, & in quo: actu tamen suam haberet essentiam, quae esse posset. Ita sane anima a corpore separata essentiam retinet suam, quae est actu anima in se ipsa; at non actu forma (hoc enim causam quandam significat) sed potestate duntaxat. Non est inquam forma actu secundo, quia actu non forma: sed solum actu primo, quia est natura apta formare. Eodem igitur prorsus modo se habebit in anima haec ad formandum aptitudo, quo in materia se habet potestas subiecti. Non enim est qualitas, sed ipsa essentia animae imperfecta & apta ita coniungi cum altero, ut det illi esse. Et ideo nunquam potest ab anima se iungi. Quemadmodum etiam de illius essentia est esse operationis principium, sicut de essentia materiae esse principium passionis. Quippe haec nihil aliud significant, quam ipsam animae aut

Anima separata potestate formam esse.

Aptitudo ad formandum esse essentia animae.

A materiae naturam; illam aptam agere, hanc pati. Hoc tamen magno opere distinguuntur materia & forma ab efficiente, & hinc; quod cum illa sint causae intrinsecae, ita sunt causae, ut sint etiam partes essentiales rei. quod ex eo nascitur, quod ipse per se sunt imperfectae, atq. per illum actum secundum, quo coniunguntur & perfectissimum quidpiam tertium constituunt, plurimum perficiuntur. Quare etsi actus ille secundus, nempe actu subijci formae, aut actu formare materiam, formae, aut materiae essentiam non attingat; ad earum tamen integritate & perfectionem spectat. quoniam nequaquam integre sunt & perfectae, nisi quando vniuntur & actu illum secundum habent. At efficiens causa, ut est extrinseca, sic integrum & perfectum esse habet, etsi causalitatem suam non exercent. Sed haec est mere actus quidam secundus, quo alteri potius tribuitur efficiens perfectio. Eodemque modo de fine cogitandum est.

Verum ut ad animam reuertamur, eam haecenus habemus essentialiter esse actum corporis, non actu, sed potestate: actualem aut formationem non ad essentiam, sed ad integritatem & perfectionem illius pertinere. Ex quo illud etiam conficitur, posse quidem essentiam animae non cogitatione modo, sed re ipsa interdum ab omni actuali formatione auelli: nullam tamen esse separationem, quae illam prorsus liberet a corpore; hoc est ab omni illo ordine ad corpus, qui ex potestate & aptitudine formatrice oritur, fieri inquam potest, ut anima quae re ipsa separatur a corpore ac per se cohaereat: at nunquam ita separabitur, ut nullum ordinem ad corpus significet, neq. amplius sit apta illum rursus formare. Quoniam cum hic formandi potestas sit eius essentia imperfecta & potens, nisi a suam essentia separaretur, nunquam ab eiusmodi potestate liberabitur. Etenim neque materiam abstrahes unquam a potestate ad formas. Quoniam haec est ipsa eius essentia. Quamuis a singulari formis re ipsa separatur.

TEXTVS.

Δὲ ψυχῆς ὅτι ἐντελέχεια ἢ ἀρρώτη σάμματος φυσικῶν ζώων ἔχουσα δύναμιν πρὸς τὸν δὲ, ὅ ἀν ἡ ὀργανῶν ὀργανὰ ὅ ἢ τὸ φῶς μέρη, ἀλλὰ παντὸς ἀνά: διὸν τὸ φύσιον ἀνεκχωρητο σκεπασμα τὸ ὁ ἀνεκχωρητο, κερτυ ἀν δὲ ἐξ ἡ αὐτῆς ἀναλογον: ἀμφο ἑαυτῶν πῶν πρὸς αὐτῶν.

Quare anima est actus primus corporis naturalis potestate vitam habentis. Tale autem, quod vitique est instrumentale. Instrumenta autem plantarum partes, sed penitus simplicia: ut folium eius, quod circa fructum tegmen. Id autem, quod circa fructum, fructus. Radices vero ori proportionem respondent. Ambo enim alimentum trahunt.

COMMENTARIVS VI.

Quae haecenus de anima fuerunt exposita ad quinque ferè Conclusiones pertinent. Prima est, Anima est substantia. Altera, Anima non est corpus, seu materia. Tertia, Anima est forma corporis, seu materiae. Quarta, Anima est actus, seu entelechia corporis. Quinta, Anima est actus primus, seu entelechia prima corporis. Corpus autem perpetuo intelligendum est naturale, ut in tex. 3. expositum

expositum est. Hæc omnia paucis nunc verbis concludit ex superius dictis colligens, animâ esse actum primum, seu maius entelechiam primâ naturalis corporis. Totâq; definitionem absolvens ultimâ addit particulam (potestatem vitâ habentis).

Deinde putat Simplicius addi (organici) tanquâ distinctam particulam, atq; in definitione necessariam ad eam vim animæ ostendendam, quæ vitur corpore & illud mouet. Vt potestatem vitam habes respiciat vitam essentialem & actus primi; organicum, vitam accidentariam & secundum operationis actum. Cæterum neq; operatio & actus secundus pertinet ad essentialiam animæ, quam in actu primo iam posuit Philosophus. Neq; in tex. 7. vbi totam definitionem colliget, vtrâmq; adhibebit particulam; sed alteram solum. Et quidem (organici) inquit, vt ostendat perinde esse dicere organicum & potestatem viuens, quod in hoc textu nominauerat. Voluit igitur explicare, qualem sit illud corpus, quod dixit potestatem viuens. Propterea namq; subiungit esse corpus organicum, hoc est in plures partes diuersâ rationis distinctum, quibus anima velut organici & instrumentis vt possit ad alias atque alias operationes exequentas, quarum ipsa in corpore principium esse potest.

Quod argumento à minori probauit: corpus inquam illud, cuius actus sit anima, organicum atq; heterogeneum esse oportere. Seu (quod idem esse opinor) in plantis quoq; quæ non vîq; ad eâ conspicuas habet distinctas partes; vt animalia miculque vt videntur instrumento; quod penitus immerfa sit in materia earum anima; quodq; instrumentum vitur, videatur ab eo debere esse separatum; ostendit diuersa instrumenta repetiri. Nec eas viuere solum, sed & illarum partes animæ instrumenta esse ad complura vitæ munera obeunda. Etenim plantæ, quæ inter viuentia omnia simplicissima esse videntur, minuscule distinctas habere partes; quia tamen animata sunt, huiusmodi habent corpus in plures partes seu organa diuersa distinctum.

Simplicia autem instrumenta vocauit, siue quod vnam tantum operationem habeant, siue comparatione animalium, in quibus multo maior cernitur apparatus, maior naturæ industria, maior ex omni generis & ex heterogeneis partibus compositio. Quod plures ac diuiores actiones exercere debeant; dū in plantis sola viget naturalis. Quocirca nō immerito simplicia instrumenta dixit, non simplices partes. Sunt enim heterogeneæ partes ex homogeneis compositæ. At instrumenta simplicia.

Egō in illis videntur folia in eum finem fabricata, vt fructus tegant, atq; ab iniurijs tueantur; velut etiam ab optima parente natura præparatum. Seu potius id, quod est circa fructus; quod Aristoteles dicit; carnem seu pulpam postumus nominare. Fructus enim proprie solum semen significat; quod tamen aliquo modo inclusum continetur, vt melius conferuetur, nec facile ab alio lædatur. Quamquam Galenus in 2. lib. de alimentorum facultatibus cap. 1. aliquid voluit inter fructum & semē interesse. Nec Aristoteles in 1. lib. de animalium ortu cap. 18. secus differre, quam prioris, posteriorisue ratione: quod fructus id dicat quod ex alio est; semen autem, ex quo aliud: alioqui ambo idem esse.

Habent & corticem, lignum, aut aliquid aliud eiusmodi. Habent radicem, truncum, & ramos,

partesq; ceteras, quas accuratè magis persequuntur Themistius hoc loco; & in libris de Plantis Theophrastus. Et quidem radices sunt veluti os, quo ex terra trahant alimentum, quo sustententur. Et idè infixæ sunt terræ, vt inde alimentum sugant. Et quod in viuentibus perfectioribus, hoc est in animalibus, est os, hoc sunt radices in plantis hoc enim est, quod ait, radices esse *ὀστέον*, hoc est proportionè respondens ori.

Si igitur plantæ viuentium omnium simplicissima, minuscule distinctæ, habent partes diuersæ inter se naturæ, earumq; anima est actus corporis organici & heterogenici: multo magis de animalibus, quæ compositam magis & perfectam habent naturam, id poterit affirmari; et itque omnis anima actus corporis naturalis organici.

Vbi cum corpus organicum audit Aueroes, addit (primum). Quod aliqui additum putant propter corpus artificiosum; quod organicum item est, sed veluti secundum. Alij interpretantur cor, in quod tanquam in principe membro primam Philosophus animæ & vitæ sedem posuit. Alij totum corpus organum placet dictum fuisse primū animæ subiectum; propterea quod in eo toto primum & perse suscipitur anima deinde singulis quoque heterogeneis partibus dat vitam. Sed nulla fuit necessitas vocis illius addendæ. Namq; corpus artificiosum iam erat exclusum naturali corpore nominato. Et cum queratur hoc loco, non precipuum membrum, quod viuat; sed adæquatum animæ subiectum; nō erat nominandum cor. Ac demum querendo subiectum primum & adæquatum, statim atq; positum est corpus organicum, exclusæ sunt satis homogeneæ partes; nec erat opus addere (primum). Quoniam corpus organicum necesse est heterogeneum esse.

Porrò quod Aristoteles potestatem viuens interpretatus est organicum, sapienter omnino factum est. Animam namq; non esse actum cuiusuis corporis, sed certi cuiuspiam & determinati peripicuum est. Quia non omnia, sed certa quepiam & determinata corpora sunt animata; omniumq; actus determinatam aliquam potestatem adiuat, & omnis forma certam quampiam materiam format. Quale autem sit hoc corpus, adhuc serè modum inuestigamus. Quælibet substantiæ forma non solum vt det esse actuerq; materiam, tanquàm actus potestatem, comparata est: verum etiam ad operandum refertur, tanquam actus primus ad secundum, & ad proprium finem: siquidem operatio est vltima rerum perfectio. Itaq; formam necesse est duo dispositionum genera antecedant. Vnum, quo materia ad omnem formam indifferens determinetur ad hanc, fiatq; ad eam suscipiendam & conferuandam accommodata. Alterum quo eadem illa forma operationes possit naturæ iue conuenientes exercere, quæ duo dispositionum genera vt plerumq; re ipsa conueniant in vnum; semper tamen ratione saltè distinguuntur; vt primū antecedere oporteat, alterum subsequi. Id verò multo magis in anima necessarium est, ac nobiliori modo animaduertimus. Primum enim hac nobilissima est omnium forma, quæ plures multo ac præstantiores dispositiones postulat, quibus aut educi ex materia possit, aut certè cum ea copulari. Deinde si operationes consideres, ea tum multitudine ac varietate operationum, Tum operandi modo, vt paulò post exponam, formas aliàs omnēs

Non organica ex potestate vitæ aut.

Plantarum corpora organica.

Anima solius corporis organici actus.

Duales dispositionum genera sunt in materia.

magnopere superat. Eam igitur necesse est habere corpus accuratius multo dispositum, quam relique habeant formæ; illudq. aptum ad plurimas atque inter se plurimum discrepantes functiones obeundas. Cum primis autem oportuit corpus hoc non esse ita integrum & coniunctum, quemadmodum est cæterarum formarum subiectum: sed solutum magis & quasi vinculis colligatum; ut facile flecti posset atq. pro partium diuersitate ad aliâs atq. aliâs operationes perficiendâs inclinari. Hinc partium ac membrorum diuersitas, veluti organorum, quæ alijs atq. alijs operationibus ministrarent; & idè diuersis, item qualitatibus & figuris affecta esse debuerunt.

Anima comparatione corporis tum forma, tum agens.

Forma partiales.

Duplex anime corpus.

Et anima sit actus partium homogenearum.

Ita factum est, ut anima comparatione sui corporis, tum rationem habere formæ comparatione suæ materiæ, tum rationem agentis principij comparatione instrumenti. Principium namq. & opifex operationum omnium anima est, quæ corpori, diuersisq. eius partibus, ceu instrumentis, ad eas exequendas, perficiendâsq. vitur. Vnde confici posset inesse in singulis partibus corporis præter animam proprias earum formas, quibus diuersæ partes aptæ euadant diuersarum operationum instrumenta: animæ tamen tanquam principij atque omnium moderatrici subordinatas. Verùm de hoc postea. Nunc fat sit ostendisse causam eius, quod ex effectu duntaxat affirmauit Philosophus: cur anima ad solum organicum corpus referatur, quod plures habeat diuersæ rationis partes.

Quæ cum ita sint, Quid in præmio ad hosce libros scripsit Philoponus, & in expositione sæpius repetit: viuentium animam duplex habere corpus, cuius sit actus. Vnum crassum hoc & palpabile, quod cernimus oculis & manibus contactamus. Alterum tenue ac spiritale, quod nec cerni potest, nec tangi. Quare de intelligente anima loquens eam affirmat, posse quidem ab hoc crasso & sensibili corpore separari, tenue tamen illud alterum ac spiritale nunquam relinquere. Et idè apparere interdum spectra circa mortuorum sepulchra, animaliq. cum hoc corpore apud Inferos torqueri. Cæterum hæc omnia corpora sunt homogenea, & sibi vbiq. similia, in quibus instrumentorum diuersitas nulla. Vidit hoc & conatus est vitare Philoponus in Commentario ad tex. 19. sed in alium errorem incidit; spiritum inquiens (hic enim videtur esse tenue illud corpus) esse organicum. Cum tamen totus sit vbiq. sibi similis. Neque corpus simplex & inorganicum potest esse tale, integrum, perse, & adæquatum animæ subiectum. Nam si de partiali & adæquato sit sermo, quod non per se cohæreat, sed in eo toto & integro, in quod suscipitur anima: potest sanè inorganici quoque multi tamen, non simplicis corporis actus esse anima. Quod in carne, ossè, neruo, cæterisque eiusmodi partibus manifestum est. Nutriuntur enim & augentur. Iis tamen non inest anima, nisi quatenus in toto inest organico corpore, quod ex illis omnibus coagmentatum est. Quam ob causam iure optimo solius organici corporis dicitur esse actus. Quoniam si partes eæ à reliquo corpore auellantur, nullam in seipsis retinent animam, nullam vitam.

Primum igitur & adæquatum animæ subiectum proposuit Philosophus totum corpus, ut ex illis omnibus partibus constat, quæ ad illius integritatè

atque absolutionem pertinent. Atque hæc ad præsentis loci interpretationem, quantum Commentarijs ratio patitur, latis. Nam quomodo sit actus corporis & singularum eius partium, diligentius post examinabitur.

Digressio U. De diuersis formarum gradibus.

Dum hoc loco plantas Philosophus inter viuentia numerauit, non iam vniuersè animam, sed illius species cepit nominare. Quæ res eo longiorè postulat & accuratam magis operam, quo certius aliquid de omnibus animæ partibus conuincere oportet. Non enim defuerunt, qui vegetantem formam vere animam, plantaque animatas esse negarent. Quod Stoicos sensisse, stirpium formam naturam potius, quam animam, appellantes; legimus apud Galenum in 6. Hippocratis librum de vulgaribus morbis com. 5. particula. 5. & lib. 6. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 3. Et Theodoretum de Græcorum affectionibus lib. 5. Alij contra, sentientem quoque animam illis dederunt, eas dolere inquietas, lacrymari, & id genus alias operationes edere. Quod ab Anaxagora fortasse & Empedocle didicerunt, de quibus hæc ipsa in priore libro de plantis cap. 1. Philosophus prodidit. Parcius Proclus com. 3. in Platonis Timæi ex Platonis sententia postremam atq. obfussum plantas habere sensum voluit; non sensum qualitatum, sed suauis & molesti. Alij verò duplex animæ genus placuit, vegetans & cognoscens: hocque posterius in sentiens rursus & intelligenti subdividerunt. Alij vegetanti, sentienti, intelligenti addiderunt mouens de loco ad locum. Alij etiam appetens. Ac demum alij cogitans.

Verùm sapientissimè organo Peripatetici tria animarum genera profuerunt, vegetans, sentiens, & intelligens: ut videre est in 2. libro de animalium procreatione cap. 3. & in toto hoc opere de anima. Quibus item in locis plantæ inter viuentia & animata corpora numerantur. Et in tex. præfatum 83. 93. & 95. lib. 1. & tex. 14. 2. huius lib. & in priore lib. de plantis, eas vita frui, hoc argumèto demonstrat, Quoniam nutritionis & accretionis principium habent in se ipsis. Cum vita, inquit Alexander in priore lib. de anima. cap. 8. omnibus viuentibus inest ex animæ præsentia; stirpes autem viuant, habebunt igitur animam stirpes, & est stirpium anima virtus, qua intercedente viuunt. Viuunt autem quatenus & nutriuntur & incrementum sumunt. Igitur vis alitrix & auctrix anima & species stirpium est. Hæc Alexander. quin etiam procreationes, eoque ipso modo quo animalia semen tanquam aliquid ex sua substantia supeditant. Has enim operationes cum in animalibus certum sit oriri ab anima, iniquum est Themistij iudicio in extremo primo lib. de anima in plantis existimare non ab anima proficisci. Ad hunc igitur modum ratiocinemur.

Propria vis formæ, ut est forma & actus, in eo cernitur, ut sit actus determinata species, quæ tanquæ vltima perfectio consequatur operatio. Itarum naturalium formas ab illis distinguimus, quæ arte producantur, quod hæc stolidæ sunt & quasi mortuæ, illæ efficaces atq. alicuius operationis principium. Porro in hoc plures sunt gradus. Primus est illius formæ, quæ operationem quidem edit, at non